

291. Exod. 20.

Cum Deus loqueretur cum Moyse dicitur Exod. 20. n. 18. Cunctus autem populus videbat voces, & lampades. Voces audiuntur, non tamen oculis patent: quod lampades viderentur plana res est, sed quod sicut lampades ita visu percipiuntur voces, quomodo fieri? Ecce quantum discrimen est inter voces Dei, & hominum, quia hæc solum auditum pertranseunt, at illæ non sunt cassæ, sed secum involvunt effectus, ita ut oculis excipiantur. Philo lib. de Decalogo ait, Univerfus populus videbat vocem aperitissime; humana cum vox audatur, Divina visu percipiuntur: Quare? quia quacumque Deus dicit, non verba sunt, sed opera.

Verba Dei sunt opera. Philo.



CAPUT II.

- 1. Et complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.
2. Et factus est repente de Cælo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes.
3. Et apparuerunt illis dispersitæ lingua tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.
4. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cæperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.
5. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudei, viri religiosi ex omni natione, quæ sub Cælo est.
6. Facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.
7. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur Galilæi sunt?
8. Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in quâ nati sumus?
9. Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & quæ habitant Mesopotamiam, Iudeam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam,
10. Phrygiam, Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, & advena Romani.
11. Iudei quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magna Dei.
12. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes: quidnam vult hoc esse?
13. Alii, autem irridentes dicebant: quia musto pleni sunt isti.
14. Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem suam, & locutus est eis: viri Iudei, & qui habitatis Ierusalem universi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea.
15. Non enim, sicut vos estimatis hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia.
16. Sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Joel:
17. Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem Carnem: & prophetabunt filii vestri, & filia vestra, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.
18. Et quid super servos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo & prophetabunt.
19. Et dabo prodigia in Cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.
20. Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus:
21. Et erit: omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit.
22. Viri Israëlita: audite verba hæc: Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtu-

- tibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis.
23. Hunc definito consilio, & prescientia Dei traditum per manus iniquorum assigentes interemistis.
24. Quem Deus suscitavit, solvitis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.
25. David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commovear.
26. Propter hoc latatum est cor meum, & exultavit lingua mea insuper, & caro mea requiescit in spe:
27. Quoniam non derelinques animam meam inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.
28. Notas mihi fecisti vias vitæ: & replebis me iucunditate cum facie tua.
29. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David quoniam defunctus est, & sepultus: & sepulchrum eius est apud nos usque in hodiernum diem.
30. Propheta igitur cum esset, & sciret quia iurejurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius.
31. Providens locutus est de Resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.
32. Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius omnes nos testes sumus.
33. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus Sancti accepta à Patre effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.
34. Non enim David ascendit in Cælum: dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.
35. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.
36. Certissime sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis.
37. His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: quid faciemus, viri fratres?
38. Petrus vero ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus Sancti.
39. Vobis enim est repromissio, & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster.
40. Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos dicens: Salvamini à generatione ista prava.
41. Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.
42. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.
43. Fiebat autem omni animæ timor multa quoque prodigia, & signa per Apostolos in Ierusalem fiebant, & metus erat magnus in universis.
44. Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.
45. Possessiones, & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.
46. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis,
47. Collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui salvificarent quotidie in idipsum.

ARGUMEN



ARGUMENTUM.

APUT hoc in tres dividitur partes, Prima à vers. 1. usque ad 13. narratur in Pentecoste adventus Divini Spiritus sub specie venti vehementis, ac linguarum ignearum admirantibus cunctis de his, quæ videbant, & audiebant in Apostolis. In secunda parte describitur prima admirabilis concio D. Petri à vers. 14. usque ad 42. cum magno fructu, in qua convertit tria millia hominum. In tertia parte à vers. 42. usque ad finem refertur sancta, ac Religiosa vita primorum Christianorum in multa oratione, & Charitate.

Actor. 2. n. 1. Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.

VERSIONES.

Syrus. Et cum completi essent dies, dum congregati essent omnes.
Arabic. Cum completus esset dies Pentecostes, quinquaginta dierum erant omnes iuxta prædictum modum.
S. Chrysost. Unanimiter congregati.
S. Augustin. Tempore, quo suppletus est dies Pentecostes, omnes simul fuerunt in uno.

EXPOSITIO I.

Ecce adimpleta promissio à Christo D. facta superiori cap. num. 8. de adventu Spiritus Sancti. Cum complerentur dies Pentecostes: id est 50. dies à Paschate computandi, qui hoc ipso die complebantur. Phrasi Hebræa dicitur compleri dies, quando advenit, & inchoatur. Ita Luc. 2. num. 21. Postquam consummati sunt dies octo, id est die octavo, & n. 22. Postquam impleti sunt dies purgationis, id est cum adesset dies quadagesimus. Per diem autem Pentecostes intelligit D. Lucas celebre Festum Judæorum, quod quotannis recolebant in memoriam acceptæ legis per Moysen in monte Sinai Exod. 19. & etiam in gratiarum actionem pro novis fructibus, quorum primitiæ, utpote duo panes offeriebantur; quæ fuerunt typus Christianæ Pentecostes in qua promulgata fuit lex Christi per Petrum, & cæteros Apostolos, de quo questione sequenti. Erant omnes, scilicet Apostoli, ac discipuli, ac cæteri fideles num. 120. de quibus fit mentio capite antecedenti vers. 15. ut notant S. Cyprian. S. Chrysostom. S. Augustin. S. Leo serm. de Spiritu Sancto, & patet ex verbis Joel num. 17. Quare ineptè, & malè Beza restringit adventum Spiritus Sancti ad solos Apostolos, & etiam ab hoc adventu Spiritus S. excludit B. Virginem, & ridet pictores, qui eam pingunt in medio Apostolorum: Hæreticus valde imperitè loquitur, quia Apostoli erant orantes cum mulieribus, & Maria Mater ejus, ac fratribus, ut dicitur superiori cap. vers. 14. & cum his omnibus loquens Christus eis promisit Spiritum Sanctum eodem cap. 1. vers. 8. Accipietis virtutem Spiritus Sancti supervenientis in vos. Pariter. Græcè unanimiter, D. August. simul fuerunt in uno, nempe loco, Cenaculo, & non solum erant unanimiter ratione loci, sed etiam animi, unionis, ac charitatis; nam, ut ait D. Bernard. lib. de modo vivendi serm. 41. Plus diligitur Deus unionem animi, quam loci.

Phrasis. Hebræa. Luc. 2.

Exod. 19.

S. Cypri. S. Chrys. S. Leo. Beza.

Act. 1.

3. Græc. D. August. D. Beza.

QUÆSTIO I.

Quare D. Spiritus venit in die Pentecostes?

Pentecostes vox est græca, & significat quinquagenarium, & cum hic liber Actorum scriptus fuisset à D. Luca Græco idiota, & de Græco originali transmutatus in Latinum, tamen hoc nomen Pentecostes in Græco permansit, ob magnam multorum mysteriorum venerationem, quæ sub hoc nomine continentur, ut in simili notat Rupertus in principio Apocalypsis, & ait: Sole appellatio pulchre intacta permansit, videlicet ob excellentiam rerum, sive Mysteriorum, quæ hæc Scriptura comprehendit: Sic Alleluja, sic Amen, Hebræa vocabula, ob dignitatem sensuum in Græcis, & Latinis literis permanserunt.

Hoc Festum Pentecostes, quinquaginta diebus transactis à diebus Azimorum ac Paschatis mandatum est à Deo Iudæis celebrari ex duplici ratione, Prima in memoriam, illo die quinquagesimo ab egressu Ægypti, legis latæ per Moysen in monte Sinai Exod. 19. Secunda causa, in gratiarum Actionem pro novis illius anni fructibus, quos tunc, ut jam maturos, metere incipiebant: Unde eorum primitiæ, scilicet duos panes triticeos ex frugibus illius anni Deo offerebant in die Pentecostes.

Quæ fuerunt typus, & umbra Christianæ Pentecostes; nam numerus quinquagenarius significat penitentiam perfectam, ut ex multis probat Hieronymus serm. ad initium libri 21. in Isaiam. Psalmus quinquagesimus maximè ad penitentiam pertinet. Dies Azimorum erant dies mortificationis, & abstinentiæ, quia, ut advertit Origenes homil. 23. in Numeros, & latè prosequitur Ribera, bera libro quinto de festis Hebræorum cap. 8. ad recipiendum Spiritum Sanctum debet præcedere multa mortificatio, abstinentia, ac penitentia. Lex illa antiqua fuit data uni homini Moysi uno idiomate tantum Hebræo, quia erat pro uno tantum populo; At Lex Evangelica permulata per duodecim Apostolos, ac multos, & in lingua omnium, quia omnes gentes, quæ sub cælo sunt, audiebant eos loquentes in lingua sua quia hæc lex dabatur pro toto orbe, ac pro omni gente: Lex illa antiqua fuit scripta in tabulis lapideis; At Evangelica in cordibus discipulorum, & sic canit Ecclesia, Flammantia facta sunt corda eorum. Illa lex antiqua scripta est in Tabulis, quæ contrastræ, ac destructæ sunt Exod. 32. n. 19. quia illa lex contracta, ac destructa est; Lex Evangelica data est in Spiritu Sancto, ut maneat vobiscum in æternum Ioan. 14. n. 16. Lex illa antiqua fuit data in deserto Ioan. 14. in monte Sinai, Exod. 20. qui idem est ac rubus, quia Lex illa fuit rusticana, & gravis, ac spinosa, & Exod. 20. valde deserta gratiæ, quia nullam secum dabat mediū



ad justificationem; ac lex gratiae levis, & suavis data, ac publicata est in Ierusalem & idem valet, ac *visio pacis*, civitas valde nobilis, ac opulentissima, quia lex ista gratiae nobilissima confert, & opulentissima media gratiae, & sanctitatis per septem sacramenta ad justificationem, ad faciendam visionem pacis cum Deo, utpote data per Salvatorem nostrum Iesum, & sic dicitur Ioan. 1. n. 17. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Multae aliae excellentiae legis gratiae super veterem, de quibus late egi, in opusculis opusc. 1. resol. 5. q. 1. per totum, videri possunt.

Deinde, ut iam dixi Festum Pentecostes erat mandatum Iudaeis pro maturis frugibus illius anni jam ut in proximo meterentur spirituales fructus, de quibus loquitur Christus Ioan. 4. n. 35. dicens suis Apostolis: *Levate oculos vestros, & videte regionem, quia albae sunt iam ad messem.* Qua allegoria explicat Christus Dominus, ut notat D. Cyrillus, Alexandri, D. Chrysost. D. Augustin. & alii, quod spirituales fegetes praedestinatorum Christi adventu erant proportionatae ad salutem, postea vero sanguine Christi irrigatae, ac gratia Divini Spiritus adveniente, facti sunt fructus maturi, & optimum triticum, ut congregetur ad horreum Christi Matth. 13. num. 30. Iudaei in die Pentecostes offerrebant primitias fructuum. In hac etiam die praedicante D. Petro oblae sunt primitiae fidei Christianae, scilicet, tria millia animarum, quae conversae sunt ad fidem infra n. 41, & ut existimo, sicut ex omni natione audierunt eos loquentes linguis suis, sic ex omni natione conversi sunt ad fidem, Iudaei in die Pentecostes offerrebant duos panes triticeos: Sic in die Christianae Pentecostes oblati sunt duo panes triticeae perfectissimi, ut explicat Origenes homil. 23. in Numer. Multi scilicet conversi ex utroque populo Iudaico, ac Gentili, vel ut vult Radulphus lib. 16. in Levitic. cap. 4. per hos panes interpretatur amor Dei, & proximi, vel homo secundum se totum, animam scilicet, & corpus.

Deinde Festum Pentecostes, festum est proprium Spiritus Sancti, ejusque plenissimum Iubilaeum, nam quinquagesimum, quod dicit Pentecostes, denotat annum quinquagesimum, annum, scilicet, Iubilaei Levitic. 25. n. 10. in quo servi fiebant liberi, & omnes revertentur ad suas majorum hereditates, etiam si millies fuissent divenditae, ita per Spiritum Sanctum redimus ad gratiam, ac societatem Angelorum, ad libertatem captivitatis Damonis, & ad hereditatem filiorum Dei, & ad possessionem amissam Caelestis Beatitudinis.

Multam desolationem, ac destructionem deplorat Oseas Propheta in populo Dei quomodo arefacta esset vinea, & ficus, campi steriles facti, mores corrupti, derelicto Deo servientes Baalim; tamen Deus misertus super populum suum ait Oseae 2. n. 14. *Loquar ad cor ejus, & dabo ei vinivores ejus, ex eodem loco, & valem Achor ad aperendam spem.* Multa promittit populo suo, ut erigatur in salutis spem ad recuperanda omnia dona perditae: promittit illi vinivores ex eodem loco, id est Doctores, ac Magistros ex Regali Ierosolimitana procreatos, ac natos; insuper promittit valem Achor, & potest referri ad pinguedinem ipsius vallis, qui erat fertilissimus omnium fructuum per quos denotatur abundantia omnium spiritualium donorum, vel potest referri ad tragediam Achor. Iosue 7. n. 24. per quod significat, quod Deus inducet ad poenitentiam; sed unde illis tanta felicitas ante omnia ait: *Loquar ad cor ejus, nempe per Spiritum*

Sanctum, ipse enim est, qui pulsat ad cor nostrum, & illuminat mentem ad poenitentiam, & ad recuperanda, & augenda bona spiritualia. Noster D. Cyrillus Alexandri, ibi: *Perpende, ait, autem quomodo non prius data sit ad aperendam intelligentiam ejus vallis Achor, quam loqueretur ad cor ejus, nec enim Divina praecepta Iudaorum populus intelligeret, nec in typis Christi mysterium aspexisset, nisi, & nos, qui credimus, communione Spiritus Sancti auctus, & superna illuminatione dignatus fuisset.* A Divini Spiritus influxu venit omnium caelestium donorum recuperatio.

Sanctum, ipse enim est, qui pulsat ad cor nostrum, & illuminat mentem ad poenitentiam, & ad recuperanda, & augenda bona spiritualia. Noster D. Cyrillus Alexandri, ibi: *Perpende, ait, autem quomodo non prius data sit ad aperendam intelligentiam ejus vallis Achor, quam loqueretur ad cor ejus, nec enim Divina praecepta Iudaorum populus intelligeret, nec in typis Christi mysterium aspexisset, nisi, & nos, qui credimus, communione Spiritus Sancti auctus, & superna illuminatione dignatus fuisset.* A Divini Spiritus influxu venit omnium caelestium donorum recuperatio.

QUESTIO II.

Quare postquam Christus D. ascendit in Caelum non statim misit Spiritum Sanctum, sed post transactos decem dies?

Postquam Christus D. ascendit in Caelum, ut dicitur superiori cap. 11. n. 14. erant Apostoli cum Beatissima Virgine Maria, ac mulieribus perseverantes unanimiter in oratione. Ut sua oratione, perseverantia, ac continuatione, sua fide in Verbis Christi, quibus tantum donum promiserat, sua spe firma in Christi promissione, sua charitate, qua erant omnes unanimiter, se maxime disponentes, ac praepararent ad tantum donum recipiendum, & hac sit prima ratio, cur Christus D. postquam ascendit in caelum, non statim misit Spiritum Sanctum.

Secundo fit ex his, quae notat R. Moyses filius Maymon in solutione dubiorum legis lib. 3. cap. 44. Deum statuisse hosce 50. dies ab egressu Aegypti, ante suum in Sina ad Moysen, & populum adventum, ut per tot dierum moram sui adventus, maxime sui desiderium in eis accenderet, sicut, ait, qui expectat visionem amici, quem diligit ex animo annumerat dies, donec videat ipsum, & postea veniens ipse Amicus maxime gratus, ac per jucundus est ejus adventus, ita ex dilatata spe adventus Spiritus, tunc cum ipse descendit, maxime gratus, ac per jucundus fuit ejus adventus: Et referunt hic graves Auctores, solitos fuisse Iudaeos a Paschate, usque ad Pentecostem convenire in Synagoga, ibique post preces, ac benedictionem, proclamando numerate dies, scilicet, hic est primus, hic secundus, hic tertius, &c. quo significabatur vehemens desiderium Apostolorum, ac Discipulorum de adventu Spiritus Sancti in Pentecoste.

Tertio Oecumenius ad caput 1. illa verba vers. 5. *ut expectarent promissionem*, sic, ait, cum Christus ascendit in Caelum; *Non statim descendit Spiritus, sed post octo fortasse, aut novem dies, ut paululum contristati, & in desiderio, ac necessitate constituti purum, ac perfectum resiperent in ejus adventu gaudium.* Apostoli ex sui charissimi Magistri absentia, vehementi tristitia sunt affecti, sic eis dixit Christus: *Quia haec locutus sum vobis tristitia implevit cor vestrum: expedite vobis, ut ego vadam: Ioann. 16. num. 6.* Multa tristitia premebantur Apostoli ex dilatato dono Spiritus Sancti, ex cujus praesentia multam omnium bonorum consolationem sperabant, ideo permittitur in eis tantus animi angor, ut inde ex ejus adventu letitia esset superabundans, ac ex omni parte super omnem modum recrearet: *Ut paululum contristati, purum, ac perfectum resiperent in ejus adventu gaudium.*

Cum ex impia sorte Ammon omnes Iudaei essent trucidandi;

D. Gregor. Nyssenu. Et domicilium Apostolorum repleverat.

EXPOSITIO II.

Factus est repente de caelo sonus. Syrus ex caelis vox. Hic sonus fuit & tanquam vox excitans animos Apostolorum ad devotum, ac reverenter excipiendum Spiritum sanctum, & ut vox clamans, ac convocans Iudaeos ad Cenaculum, ubi tanta mirabilia fiebant, & de quo quae sequenti. Repente primo denotaretur, quod dona, quae divinus Spiritus infundebat, non erant ex merito, sed ex mera gratia, sua efficacia repente mutat cor hominis, ut repente mutavit Saulum; in Paulum: deinde etiam, ut innumeret, quod divinus Spiritus vult in suis ministris celeritatem, ac agilitatem; Nescit tarda motuina Spiritus sancti gratia. Replevit totam domum explicat Lyranus claritate: quod intelligo; non solum interiorius, sed exteriorius, ut multi venirent ad praedicationem Petri, per domum intelligitur Cenaculum.

Ubi erant sedentes. Caietanus de propria sessione explicat, quae maxime ad quietem mentis pertinet. At cum dicitur: *Ubi erant sedentes* intelligo a parte antea, antequam factus esset sonus; nam adveniente divino Spiritu, Apostoli, vel more Iudaorum pedibus steterunt, vel genibus flexis, ut reverenter, ac cum multa submissione tantum donum exciperent, sic & canit Ecclesia in festo Pentecostes: *Orantibus Usus Ecclesiae. Apostolis Deum venisse nuntiat, faverque pictura Ecclesiae, ejusque communis usus, dum cantatur Veni Creator Spiritus, quod fit genuflexio.*

QUESTIO III.

Quare divinus Spiritus venit eum tam vehementi, ac forti sono?

At Textus: *Factus est de caelo sonus tanquam adveniens Spiritus vehementis.* Multi, & gravissimi AA. ut Caiet. Lorin. Menochius, & alii per Caietan. Spiritum vehementem; valde probabiliter intelligunt verum, & realem ventum; tamen inaherendo proprietati verborum Textus, videtur quod non fuerit proprius ventus, sed aliquis sonus, ut fit collisione duorum corporum, vel alarum avium cum volant; Textus ait: *Factus est sonus tanquam Spiritus vehementis.* Illud tanquam denotat non proprietatem, sed similitudinem; sicut dicitur infra: *Apparuerunt illis tanquam lingua ignea, non fuerunt propriae ac reales, sed similitudines, ac species, & favent Versiones, Aethiopicus venit strepitus, D. August. D. Cyprian. Flatus vehemens.*

Iste sonus fuit vehemens, ut excitaret, ac praepararet corda Discipulorum ad excipiendum Spiritum sanctum, & ut simul impelleret Iudaeos, ut ad Cenaculum concurrerent, ubi tot mirabilia fiebant, & ut indicaret tanquam in symbolo sonus praedicationis Evangelicae ex adventu Spiritus sancti. In omni terra exivit sonus eorum Psalm. 18.

De caelo venit sonus, ut fieret manifestum, quod Christus D. erat in Caelo sedens ad dexteram Patris, ut notavit Oecumenius, *Factus est repente de caelo sonus, & ait: De caelo autem propter multum impetum, ut ostendat opus fuisse ejus, qui assumptus est in caelum.* Cum Christus D. ascenderet in caelum nubes suscepit eum ab oculis eorum in ipsa regione aerea, & quia humana visio pertingere non potuit ejus ingressum in gloria, misso Spiritu sancto de Caelo manifestatur, suam perexcellens gloriam quam Christus possidet ad dexteram Patris, magnificis

trucidandi, quod fuit causa ingentis doloris, & fletus, tamen auxiliante Deo intervenit Regina Esther revocatur impij decretum, Iudaei vita sunt donati, ac nobilitati a Rege Assuero, & inde a Mardocheo mandatum est, ut ille dies libertatis summo gaudio a Iudaeis celebraretur per annos: *Isti sunt dies, quos nulla unquam delebit oblivio, & per singulas generationes; cuncta in toto Orbe Provincia celebrabunt; nec est ulla Civitas, in qua non dies Phurim, id est, sortium non observetur a Iudaeis, & ab eorum progenie.* Esther. 9. n. 28. Maxime dubitant ibi interpretes, quomodo ibi in die tam festivo libertatis populi, nominatur Phurim, id est sortium, quia forte exiit ab Aman, ut populus periret, quid habet festivitas libertatis cum sententia damnationis? Respondent Sanchez, & Cornelius ibi: *Quod dum dies ille anniversario rediret, recurrit, per cuius illius renovetur memoria, in quo fuerunt, & qualem habuerunt animorum consternationem, & angorem, cum de sortibus, ac die nuntium accepere.* Ex transacta afflictione, ac tribulatione, magnum inde confurgit gaudium.

Quarto, & maxime ad partem, decima die venit Spiritus sanctus; nam decennarius numerus indicat legis complementum, quae continetur in decem praeceptis. Inter caetera mandavit Deus populo suo: *Et offeres pro peccato suo simila partem Ephi decimam: Levit. 5. n. 11. Ephi: erat mensura consueta per decimam partem, quam mandavit Deus sibi offerri: Allegoricè intelligit D. Isychius totam legem completam.* Decima autem die venit Spiritus sanctus, ut denotaret, quod solum in illos, qui totam legem adimplent, ipse descendit, eosque suis donis illustrat; sic dicitur Ecclesiast. 18. n. 23. *Ante orationem prepara animam tuam.* Observatione divinorum Mandatorum, ut sancti Spiritus dono implearis. Sic ait D. Bernard. serm. 69. *Qualem te praeparaveris deo tuis tibi apparebit Spiritus Dei.*

Ait Christus D. Ioan. 14. n. 23. *Si quis diligit me sermonem meum servabit; & Postea: Paraclytus autem Spiritus sanctus, quem misit Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Ibid. n. 26. Illud maxime notandum, quod antequam agat de adventu Spiritus sancti, ipsumque promittat a Patre mittendum, tamen prius agit, & proponit observationem mandatorum ejus: *Sermonem meum servabit.* Ut aperte denotaret, quod solum Spiritus sanctus descendit, & implet suis donis eos, qui ejus praecepta servant; sic ait noster D. Cyrillus in praesenti; *Non quibuscumque promittitur Spiritus sanctus, sed observantibus praecepta ejus.*

Et factus est repente de caelo sonus, tanquam adveniens Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes.

Et factus est repente de caelo sonus, tanquam adveniens Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes.

VERSIONES.

Syrus. Et fuit derepente ex caelis vox. Arabic. Aurae sonitus, quasi proveniens ex venti turbine, &c. in domo, in qua erant commorantes. Aethiop. Venit strepitus, sicut Spirit. sanct. S. Dionys. Alex. Sonus magnus, & ita ut concussa sit rota domus. Vatabl. Tanquam similis flatus violento, qui fertur. Pagnin. Tanquam impetu venientis. D. Cyprian. D. Aug. Et factus est subito de caelo sonus, quasi ferretur flatus vehementis.